



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 80. Ferdinandi & Alphonsi ejusdem Filii indoles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

tuit, atque etiam supplicum more co-
 ram illo profiteri haud dubitavit, quod
 tota sua falus ab ejus ope dependeret;
 cum autem iter aggressurus, jamjam na-
 vem conscendere pararet, nunciatur ei,
 Oratores suos in Galliis confestim regno
 excedere jussos fuisse. Ferdinandus hoc
 nuncio tantopere perculsus hæsit, ut
 eo ipso temporis articulo apoplexia tactus,
 proximo die Sabbati vigesimo quinto Ja-
 nuarii vivis ereptus fuerit, cum septua-
 gesimum vitæ suæ annum excedisset, &
 triginta sex regnasset.

§. LXXX.

*Ferdinandi, & Alphonsi ejusdem
Filiū indoles.*

Communi eorum, qui Ferdinandi ge-
 sta complexi sunt, suffragio compro-
 batum habemus, quod is populo suo exe-
 crandus, detestandusque extiterit ob ve-
 stigalium onera, & crudelitatum speci-
 mina, quamvis ipse ceteroquin profunda
 sapientia, atque elimata regnandi scien-
 tia se præditum jactitaret; unde post Ne-
 ron's fata vix Principum ullus minus sui
 desiderium reliquerat; ne quid vero dis-
 simulemus, tanta sævitia Neapolitanos
 divexabat, ut plane expectare ab eis
 haud poterat, quod ob ejus mortem vel
 ullum doloris sensum præferrent, cum

Sæcul. XV.
A. C. 1494.

Sæcul. XV.
A.C. 1494.

non tam regnum imperiis gubernasse, quam tyrannide contaminasse crederetur ab omnibus. Nec parum suorum auxit invidiam Alphonsus Arragonius Calabriae Dux ejusdem filius natu major; cum enim Paternorum vitiorum hæres esset, auspicatoris fortunæ spes eo regnante subditis succisa erat. Immani enim utriusque ferocia quam plurimi periere tam Prælati, quam Nobiles, qua ferro, qua carcerum squalore, imo etiam veneno perempti. Nullius Nobilis Matronæ pudicitia, si pro infausta sorte sua eorum oculis placuit, violentas illorum manus effugere poterat, nec ulla ditiorum forte Ecclesiarum reverentia eorum avaritiam cohibuit, & potentiores familiæ, nisi potiorum suorum bonorum partem illorum rapacitati ultro offerrent, sicque residuas, easque modicas fortunæ suæ reliquias redimerent, cuncta perdendi periculum subibant; ipsimet in regno suo Institores, atque Mercatores agere non erubescabant; vili enim pretio frumenta, oleumque emebant, eosdemque suos venditores, ut has merces summo pretio ab eis denuo emerent, postmodum compellebant.